

fane agebat animam, cùm triduo post ad Gallorum domicilia pervenit, fractus itinere ac morbo. Patrum tamen arte ac studio, & scilicet Dei benignitate, re-creatus est; nec ipse tantum in fide catholica confirmatus, sed ejus capessendæ desiderio complures inflammati.

Incidit aliquanto post in morbum pater adolescen-tis, & ad nos similiter deferri voluit, ubi nostrum in tugurium, atque adeo in unius è Patribus lectum acceptus, piè vitam clausit; quodque barbaris novum accidit ac molestum, illatus est in commune Christianæ plebi sepulcrum: nam ipsi a sepulcris majorum ægerrime divelluntur. Curatum funus illustri, ut rerum ferebant angustiæ, pompa. Nec honore isto qualicumque indigna barbari virtus erat, qui etiam ante quām Christum noſſet, non potuerat adduci ut plures una duceret uxores: id naturæ ac rationi magis consentaneum arbitratus. Post ſuceptam vero Christi Fidem ita vixerat, ut barbaris admirationi effet, Christianis exemplo.

Hæc domi gesta. Egredi deinde quasi pomerio præcones Evangelici magnam regionis partem lustra-vere. Divina res, ubicumque licuit, facta: impositæ manus ægrotis, conciliati munusculis parentes ac liberi; data Gallis, novas condentibus sedes, opera; necnon classiariis atque vectoribus. Non defuit pa-tientiæ læta ſeges, ac tanta interdum exſtitit annonæ penuria, ut ſingulis hebdomadis certum [323] unicui-que demenſum daretur, quod vix sufficiebat in unum